



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

59 Constantinus primus fabricam Templi Divi Petri instituit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

penfionum, apponunt clausulam, quod ducati centum remaneant liberi pro rectore, & illud verbum, † liberi, habet latam significationem, quod sint integri sine diminutione deductis oneribus, & expensis in illis recolligendis gloss. in cap. gravis. in ver. fructus, de restit. spol. l. 1. & ibi Paul. de Castr. c. de fruct. & lit. expens. Bald. in cons. 53. in fin. volum. 1. & computantur respectu utilitatis, quæ habetur in apportatis in absentia. Staphil. de grat. expectat. numer. 64. & 65.

Si autem † agatur de reparatione ecclesie parochialis, quæ pauca indigeat restauratione, nempe, incrustatione, dealbatione, in aliqua muri parte restauratione, & his similibus, careatque paramentis, & aliis ad ornatum, & usum altaris, vel sacristie necessariis, tunc parochus usque ad tertiam partem sumptus, qui erunt subministrandi, taxari poterit, & condemnari, vel eidem parochus portio calices, paramenta, mappas, corporalia, & purificatoria comparanda concernens, poterit assignari. Quamvis enim parochus ex parochiali percipiat ultra ducatos centum, non propterea parochiani à fabrica, & restauratione parochialium sunt exempti, sed regulariter ipsi totum, vel partem contribuere tenentur; & à viris pijs secularibus præcipue † parochiales ecclesie, impensa Universitatum fabricantur. c. futuram. §. ab illo 12. qu. 1. cap. nemo Ecclesiam, & c. si quis de consecr. dist. 1.

Nam † Constantinus primus fabricam templi primæ Sedis Beati Petri instituit, adeo ut sedem imperialem relinqueret Beato Petro, successoribusque suis profuturam, licentiamque per universum or-

bem, † sub suo degentibus Imperio fabricandi ecclesias concederet, ut dicto cap. futuram.

Quapropter † ecclesiarum numerus fuit postea ab Imperatoribus, aliisque principibus, ac pijs viris auctus, & quotidie Deo benedicente augetur. auth. ut de term. sit. num. cler. colum. 1. quando verò ecclesia † per aliquam ædificatur, debet tanta dos ei constitui, ut presbyteri, & alii ecclesie inservientes possint sustentari, luminaria haberi, hospites recipi, & jura Episcopalia persolvi, ut inquit Bart. in dict. auth. nu. 1. auth. ut nul. s. b. ric. orat. dom. col. 5. & facit text. in c. 2. §. ubi autem, de decim. in 6. & c. 1. de præb. eod. lib.

Cum enim, † qui altari servit, de altari vivere debeat. cap. ex his. 12. qu. 1. & c. cum secundaum. de præben. non sunt parochialium Ecclesiarum Rectoribus alimenta, ad eorum statum necessaria, minuenda, quia, os bovi trituranter non est alligandum. Deut. cap. 25. c. ecclesias. vers. irem non alligabis. 13. quest. 1. & c. extripanda vers. cum igitur de præb.

Secundò casu, † quando redditus parochialis consistunt tantum in decimis, & primitiis, ex quibus parochus non recipit certum, & determinatum redditum singulis annis, informationes summarie à viris non suspectis in actu visitationis sunt sumendæ: & anno fertili cum sterili, per quinquennium tunc proximè elapsum, calculato, ut redditus ecclesiastici calculari, & communiter æstimari solent, ut post Bar. Abb. Felyn. & alios, quos citat, tenet Gomel. in reg. de val. exprim. quest. ult. si redditus parochialis annis singulis summam centumducatorum excedunt, tunc parochus modo, quo supra concurre-